



**R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia**

**Tamburini, Tommaso**

**Lugduni, 1689**

Prima regula.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

promissio jurata liberalis obstat receptioni status Religiosi si enim liberaliter juraret de ducturum foeminam in eius gratiam, vel famulaturum alicui toto vitæ tempore, vel quid aliud simile, etiam his acceptantibus ad hoc potest ingredi Religionem, & non obligari juramentum servare. Ratio quoad promissionem matrimonii est, quia in jure c. ex publico, de conversione conjugatorum, est, & passim Doct. conceditur sponsum etiam de præfati ante consummationem posse intra duas menses Religionem ingredi. Si ergo ipsum matrimonium initum non obstat voluntati ingredi in Religionem, multo magis non obstat juramentum de matrimonio incundo, quod non obstat etiam propter perfectionem status religiosi (ut deducitur ex jure Canonico) sive in matrimonio in illud binetere, sive in promissione etiam jurata involuitur illa conditio, ibid. nisi Religio matrimonij, involuitur magis placeat. Ratio autem quoad promissionem status aliarum rerum, est, quia si talis conditio non juratur aliarum rerum, vel per illud bi- involuitur in ipso matrimonio incundo, vel per illud bi- metere etiam in initio ante consummationem, multo magis involuitur in ceteris promissionibus, quæ sunt vincula minus fortia, quam matrimonium.

15. Consulto dictum est (liberaliter) nam accedat illa obligatio iustitiae, v. g. damni dati injuriæ, &c. dicitur si ratio, nec poterit Religionem ingredi, qui ratione horum juravit, v. g. quis in matrimonio foemina, quam prostituit, jurat famulaturum toto tempore vitæ is, quam pecuniam accepit, &c. hi sanè Religionem ingredi non possunt, tenente parte, quia tunc promissio jurata non est liberalis, sed onerosa, cujus executio ex iustitia debetur.

16. Quid, si quis alicui cum juramento promissit, vel matrimonium, vel dictum perpetuum famulatum, vel vitam in seculo celibem, vel quid simile liberaliter, potest- ne Ordines sacros suscipere? Respondet Sanchez, promittentem cum juramento matrimonium, non posse promittentem verò famulatum, vitam celibem, vel aliud quid, posse. Ratio est, inquit, quia alia promissiones non sunt tanti momenti, ut ordinibus suscipientis obstat debeant; at promissio matrimonij potens est, fortis, nec nisi à Religionis vero & proprio ingressu vincit debet, non verò ab ordine sacro, qui licet affinis statui Religioso sit propter votum Castitatis solemne, Religiosus tamen status propriè non est. Qui ergo jurat ali- quid modo dicto impeditivum Ordinis facti præter matrimonium, involvit conditionem; Nisi ipsum Ordinem sacrum, statum nempe Religioni similem, elegero; at qui jurat aliud impeditivum vitæ seculis, vel servitij No- scimur, &c. non involvit dictam conditionem. Nisi vitam celibem, vel dictum servitium, elegero; quia non sunt status affines, seu similes Religioni, cui Religioni, & propter congruentiam statui, qui Religione est similis, facta est dumtaxat à jure dicta concessio.

#### §. IV. Qua ratione interpretandum juramentum in ordine ad inducendam obligationem.

Tribus regulis id perspicuè definita, quæ etiam sua proportionem sunt applicandæ ad votorum obligationem de qua infra.

##### Prima Regula.

1. Si de intentione jurantis constat, non est opus interpretatione, sedis, interpretari debet juramentum, ut servata proprietate verborum, quantum minor potest, obligatio inducatur, quia semper præsumitur jurans minus voluisse suæ libertati nocere. Ita Abbas, Sylvest. Scat. apud Cast. r. 3. tr. 14. disp. 1. de jur. p. 14. lege item Laym. lib. 4. tract. 4. c. 3. n. 4.

2. Hinc jurans Religionem ingredi quamlibet etiam minus strictam ingredi potest. Promittens alicui servire potest per paucos dies. Promittens elemosynam, potest elargiri quamcumque. Promittens servare statuta, v. g. col-

legij, potest non observare, quæ postea eduntur. Quid si ex circumstantiis, vel modo communi loquendi, certus sit jurans se promississe Religionem strictiorem, servitium longo tempore, largam elemosynam, observantiam statutorum edendorum, (ut affollet esse in statutis, quæ de novo juxta proprium institutum feruntur in Religionibus) juramentum debere observari ex se patet.

##### Secunda Regula.

3. Juramentum restringendum est juxta naturam actus, super quem cadit, Sic Laym. Castro Pal. alique cit. quia: Accessorium sequitur naturam principalis, Reg. Jur. 2. in 6. nec jurans præsumitur alio modo se obligare voluisse. Quare omnes restrictiones, vel conditiones, quas de jure, vel consuetudine habet promissio, omnes habet juramentum illi adhaerens. Habet autem communiter quatuor, quæ generales conditiones promissionis appellantur. Prima: Si potero (ad impossibile enim nemo tenetur (vel si licet potero. Secunda: si superior legitime non contradicat. Tertia, si res non fuerint notabiliter mutata. Quarta, si promissio fuerit acceptata, vel si non fuerit remissa a parte.

4. Hinc, si jurum tibi aliquid, aliudque tu mihi: te fidem frangente, ad nihil ego obligor. Si jurem tibi quidpiam donare, te ingrato existente, ad nihil item reneor. Si jurem solvere tuum debitum fidejubeundo, & non instar principalis, si prius tu non excutiaris, nihil ego debeo. Si Clericus juravit residentiam, potest non residere in casibus à jure concessis. Si quis juravit statuta Collegij, Civitatis, Universitatis, potest non servare ea, quæ legitima consuetudine sunt abrogata: & ratio horum, & similibus est ex Less. lib. 2. cap. 42. num. 22. quia promissiones involunt has tacitas conditiones, si alter fidem servet, si gratus existat, si sit solvendo, si à jure, vel legitima consuetudine aliter non fuerit dispositum, &c. ergo & easdem involvet juramentum.

5. Ex illa tertia conditione, si res non sint notabiliter mutata, multa speciatim inferuntur. Hinc enim, qui juravit ducturum sponsum, certè si illa fornicetur, si in lepram, si in morbum incurabilem, si in pauperatatem notabilem incidat, imò si inventiatur non habere dotem competentem, non obligabitur illam ducere. Si quis, facta pace, juravit se non nociturum inimico, si is dat novam inimicitiam causam, juramento deinceps jurans liberabitur, juravit quis se donaturum cuidam mille, si qui sic promissit, in pauperatatem deveniat, potest non donare. Si quis juravit se non dissolutum contractum societatis, potest, si socius rixosus, vel notabiliter molestus evadat, dissolvere. Si quis in universitate Licèciatus juravit se non assumpturum doctoratum in alia, si in hac alia iterum liceatur, potest in eadem doctoratus lauream accipere. Hæc autem & similia ideo sic se habent, quia rebus notabiliter mutatis, sicut nō obligat promissio, ita nec juramentum. Nam propterea, qui juravit usufras reddere, vel latroni pecuniam dare, quamvis, si prævidit omnes difficultates in solutionem futuras, obligatur ad solvendum saltem momentanea solutione, vel ad petendam relaxationem juramenti à Superiore, tamen si eas non prævidit, & quando est solutus, pati cogitur grave detrimentum accipiendo ad interese, vel sua bona vendendo, non tenetur solvere, nec relaxationem indiget, quia facta est mutatio notabilis, &c. propterea item jurans non loqui cum hoc quia fuit causa tibi, v. g. fornicandi, si mutentur ejus mores, ac probus efficiatur, non teneris illum vitare, quia permutatio notabilis facta est. Imò etiam si sit occasio alterius peccati, illud ex vi juramenti non teneris evitare; sicut etiam jurans non fornicari cum hac, non tenetur ex vi juramenti ad evitandam societatem; in committendo alio peccato, v. g. murmuracionis, cum eadem, ita jurans vitare occasionem fornicacionis, non tenetur, quantum est ex Religione juramenti, ab aliis occasionibus abstinerere.